

A

EPISTOLA
 SUPER
OBITU
 VIRI
NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI,
DN. JOHANNIS CHRISTIANI
NOTTNAGELI,
PRÆTORIS CYGNEÆ URBIS
HACTENUS MERITISSIMI,
 CUI
D. XII. Kalendas Martias MDCC XIV.
 JUSTA EXEQVIARUM PERSOLVEBANTUR,

AD
VIRUM
 NOBILISSIMUM, AMPLISSIMUM, EXCEL-
 LENTISSIMUM,
D N. GEORGIUM
W I L H E L M U M
 KIRCHMAYERUM,
 GRÆCARUM LITERARUM IN ACADE-
 MIA WITTEBERGENSI PROFESSO.
 REM PUBLICUM CELEBERRIMUM,
 SCRIPTA

M. GEORGIO ANDREA *Binholdi*, R.

CYGNEÆ,

TYPIS JOH. DAV. FRIDERICI

53.



VIR EXCELLENTISSIME,



Aetoram non contemnendam fecit Cygnea nostra: cum proximi diebus superioribus **NOTTNAGELUM** suum, Virum precipua cum laude memorandum, occulta nobis Supremi rerum Moderatoris lege, fato perfunctum suo, extin-
ctumque vidit. Qvi enim in foro Cygnensi, Nobilissimi Senatus
autoritate, una cum ceteris justitiae vindicibus, disceptantes audiebat, ad lites
civium vel placide componendas, vel ex sanctissimis legum placitis decidandas,
vel alia quadam temperandas moderatione Praeses datus: cuius moilibus allo-
quii & vultu ad pacem compreso Partes dissidentes fruebantur: ejus nunc os
oculosque in mortem clausos, exuviasque corporis monumento sepulchrali ho-
die inferendas merito omnes lugemus. Te quoque, VIR CELEBERRIME,
cum universa domo Tua, altius in pectus demissurum vulnus hoc, qvod inspe-
rata Avunculi tam reverenter habiti mors incussit, atque sensus imos pervasu-
ram esse tanti doloris acerbitudinem, facile ad credendum, qui tenerrimum Tuorum
amorem non ignoramus, inducimur. Et quis est, qui æterno marmori
non incidat vel in urnis tam venerabile nomen, & lacrymas tam pias non
approbandas sibi potius, quam improbandas existimet? Nam si quemcunque
ægre ferimus fortunarum nostrarum amissum: qvarum tamen nunquam irre-
parabile damnum existit: si animum abjecturi videmur sepe, calamitatem pe-
culio nostro immissam qvoties fama denunciat, aut ipsimet oculis cernimus;
qvidni multo magis tam chari capitis, & tot non minus felicitatum, quam meri-
torum cumulis referti, migrationem ex hac mortalitate inviti ac propemodum
impatientes accipiamus? Inter felicitates ejus jure primo loco Wittebergam
ponimus, sedem illam omnium doctrinarum, omnis sapientiae, omnium virtutum officinam. Heic natus infans Noster an. 1656. mense Maji, confessim pa-
rentibus ad bene sperandum, bonis auspiciis, signum aliquod sustulit: heic na-
tricis in gremio magna cum spe lusit puer, & prima garrulitate amoenus perre-
pravit limina: nec omen desuit, futurum aliquando, ut eandem urbem & pa-
triam haberet, & ingenii excolendi magistrum. Qvod qvidem augurium non
fallax eventus postea, ille humanorum consiliorum arbiter certissimus (id qvod
veritati, non auribus damus) manifesto comprobavit. Augebatur ista nascen-
di sors, si a Deo recesseris, etiam nativitatis autoribus. Etenim natus patrem
nactus fama dudum per orbem terrarum nobilitatum, Christophorum Nott-
nagelum, Mathematicum superiorum in Alma eadem Leucorea Professorem Pu-
blicum, dum viveret, meritissimum: cuius opera Mathematica, præsertim ad ar-
chitecturam militarem spectantia, jamdudum merebantur profecto, usus com-
munis gratia, typis cum rerum nostri seculi augmentis evulgari; matrem autem
fortitus Elisabetham Krembergiam, omnem felicioris fortunæ, speique, in qvam
alebatur, mensuram implesse videri poterat. Ille qvidem tota animi conten-
tione eo annis est perpetuo, qvoad hujus lucis usura ipsi obtigit: ut filium
omnibus doctrinis, qvibus ingenium ad studia literarum, ad sapientiae incre-
menta, mentisque culturam; animus vero ad inculpatos mores imbibendos
paulatim traducitur, partim eruditret ipse, quantum dissentis teneritas permit-
tebat: partim aliis erudiendum traderet. Hæc, post excessum mariti desidera-
tissi-

tissimi, qui in annum 1665, incidit, suum Johannem Christianum amore, cura,
vigilantia pro educatione honestissima filii suscepit, plus fovit: quam apud
Romanos Cornelius Gracchus suos: aut inter homines Christianorum sacris
initiatus, Augustinum suum Monica. His tantis bonis insigne ornamentum
accedebat, variarum occasio peregrinationum. Quidam noster, depositis pri-
mum studiorum Academicorum in patria rudimentis, animi perficiendi causa,
Jenam se contulerat: inde redux factus, Wittebergam aliquantis per rursus
cum tenuisset: moxque Philuream quoque matrem salutasset; forte fortuna eve-
nit, uti moribus Generosi Juvenis de Reimniz gubernandis praepositus, Fran-
cfurtum ad Oderam adiret; satis ita moderantibus, quorum inextricabiles
nexus nemo mortalium explicabit. Sic ergo Nottnagelius, in Europæ thea-
trum velut admissus, Daniam, Italiam, Belgiam, Germaniam, postremo & Po-
loniam (Gallia eum tum belli impetus prohibuit) & in his potissimum urbes
principes magna cum voluptate vidit ac perlungavit. Non caruit fructu suo
talis discendi cupiditas, ardoreque inclarescendi exteris etiam nationibus: sed,
praeterquam quod filium Illustrissimi Domini de Schöning, eo tempore emi-
nentis in militia Saxonica Imperatoris, morum ac disciplinæ moderator, guber-
navit; simul Dresdam appulit denique: fortunam fautricem quieti sua, seu
potius dextram Præpotentis Numinis, in hanc urbem nostram ipsum ducentem,
luculentis indicis expertus est. Vacabat ea tempestare Prætura Cygnea: &
Nottnagelia dexteritas multisque speciminiis probata fides, integritasque
uite Amplissimo Senatu nostro commendabatur sic: ut de eo in Prætoriam
dignitatem eligendo concordibus suffragiis consentiret. Quod munus sibi
demandatum quia diligentia gescerit: quia alacritate expediverit: quo candore,
qua constantia administraverit: cum facta loquuntur, tacere satius erit, quam
pauca dicere. Certe si tantum valeret in laudanda fide Viri hujus infanthia mea:
quantum in procurandis negotiis suis ejus assiduitas valuit: non minus ego in
ornando bono civi pariter ac bono viro censeri deberem orator: quam in vita
civili bonus Senator evasit is: cuius laudibus dicendis ego aciem ingenii inten-
dissem. Pietatem semper habuit comitem sibi B. Prætor noster, & de Deo
religiose cogitare: de gratia & misericordia ejus sermonem facere: divinis
contemplandis delectari: alios sacra prædicantes sacra intentione sustinere:
omnia sua negotia ad Deum, omnium bonorum sententiam, referre: seculi fucosas
facies contemnere & pronihilo putare: & cum his omnibus in Triumphatore
hostium nostrorum unico, in Domino salutis, Christo, unice triumphare, solide
gloriari, constanter refici: & sanctis istiusmodi jubilis omni in vita acquiescere;
& hic denique, cæteris omnibus posthabitibus, obiectamenta sua, solatia sua querere
consuevit. Jam parvi & stimamus illud veterum Aegyptiorum: quando ex
collo ejus, qui interjudices suos primarium obtineret locum, Numinis imago
pendebat, gemmis & auro confecta: quod Numen ipsi veritate nuncupabant.
Hoc videlicet signo ostendebant, judicis animo oriisque veritatem inesse oportere:
hanc, quoties illam conspiceret, semper omnibus præferendam. Hand
externum decus Noster, haud fragilem aut caducam formam præferebat: imagi-
nem vere divinæ veritatis, quam aequali studebat, præferebat, amantisissimus sim-
plicitatis non rudit illius & solidæ; sed generosæ, qualis Dolabellæ; sed nobilis,
qualis

V
18

qvalis Cn. Domitii; sed eminentis utilitate sua innoxia; qvalis iterum Domitii qvondam summis laudibus prædicabatur. Unde ei fæpenumero plus arridebat nimium credere, qvam parum, ex suo ingenio alios æstimanti. Et erat præterea, ubi secreta qvædam sua, sicut natura ad affabilitatem propendebat, in amici effunderet sinum: ut ut alias sua tanquam in sacrario Vestæ asservari vellet; ne in profanos incurrenter oculos. Quemadmodum facies ejus virilem formam præ se ferens, animum quoque genio seculi conformiter spondebat: & alacritas illa, & viva moderatio in gestu, in motu corporis, & in oratione, humani artibus exilotam spirabat dotem naturæ: in qua lepor externus cum candore animi sine fuso commiscebatur: ut integritas morum cum elegancia formæ, qvam dignitas vitæ commendat, certare videretur: ita accedebat huc lingua Gallicæ cognitio, qvam in patria primoribus labiis gustatam, Genevæ & Argentorati demum penitus perceperat; qvæq; eidem non exiguo tum ornamento, tum adjumento in congressibus erat. Tria duntaxat, Fautor optime, Te non celabo in hac festinatione mea: Qvod beate defuncto nihil gratius in juris qvæsi diribitorio sedenti accidere potuit, qvam si liceret pollicem premere, more Judicium Romanorum, qvod proni favoris esse existimabatur; contra ingratissimum evadet, pollicem vertere, qvi ritus damnantem significabat: siqvidem libenter pro reconcilianda gratia laborabat, qvam pro rigido jure usurpando: Qvod, Philippi Macedonis exemplum secutus, indulxit amicis, sed qvatenus licebat, integra Judicis opinione: Qvod adversus auri vim animum indomitum gessit: neq; in arcem suā vel asinum auro onustum, ut mihi in ultimō conventū coram confirmavit, ascendere passus est, contra ayaritiam pugnam pugnans inexpugnabilem. Jam demum post molestissimum qvinqaginta & octo annorum confectum vitæ spatium, neq; vicqvam opem medicam adhibente D. Joh. Ernesto Richtero, in Circulo Voigtlandico & hac urbe Physico Celeberrimo, redditus est æternæ quieti; recreata prius per Dn. Confessionarium, Johannem Schinckium, deinde & per M. Gotthardum Schusterum, utrosque Verbi divini ad Aedium St. Catharinæ vigilantissimos, atque in doctrinis cælestibus assiduos Precones, recreata, inquit, & relecta anima, portum æternæ tranquillitatis adeptus est. Jam non sedendum est ei amplius in Tribunal: nulla, ut Romanis Judicibus, opus est vel trabea, vel prætexta: stolam indentus est sanguine tinctam immaculati Agni: hac superbit, hac pompas omnes hujus vitæ longe fastidit. Habet de Notrnagelio in Tuum, imo & nostrum, adeoque commune solarium. Nos **PATRIBUS** hujus urbis **VENERANDIS** dolorem testati, Collegam; Curiæ juris dicundi Antistitem; civitati universæ civem huic similem & justitiae moderatorem cælitus appreciamur! Te autem, **VIR EXCELLENTISSIME**, in decus Academiæ vestræ, & literarum Græcarum a nobis fugientium stabilitum, servet Deus, annisq; etiam seris præstet incolumem! Servet & Venerandum Dn. Socerum Tuum, **D. JOHANNEM HOELTZELIUM**, consummatæ doctrina letum, & in causis agendis peritis sumum artificem, cum tota familia sua, in nostrum, & Tuum quoque emolumendum! Scriptum Cygneæ d. XII, Kal. Mart. 1714.

eillvp

no



EPISTOLA
SUPER
OBITU
VIRI
NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI,
DN. JOHANNIS CHRISTIANI
NOTTNAGELI,

PRÆTORIS CYGNEÆ URBIS
GENUS MERITISSIMI,

CUI

Kalendas Martias MDCC XIV.

EQUIARUM PERSOLVEBANTUR,

AD
VIRUM
UM, AMPLISSIMUM, EXCEL-
LENTISSIMUM,

GEORGIUM

HELMUM

RCHMAYERUM,
M LITERARUM IN ACADE-
TEBERGENSI PROFFESSO-

PUBLICUM CELEERRIMUM,

SCRIPTA

ORGIO ANDREA Vinhold, R.
CTGNEÆ,
PIS JOH, DAV, FRIDERICI.

53

